



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 21. Castellæ Legatorum tricæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

derio adventuros expectassent, majori jam Sæcul. XV.
 gaudio recipere, simulque illis ad parti- A. C. 1417.
 cularem eorum unionem quævis justa, ac
 honesta offerre media, ut & ipsi communi
 cum reliquis studio generali concordiæ
 tandem perficiendæ adlaborare possent.
 Hac die Imperator Rudolficellam solemnia
 Paschatis celebraturus abiit.

§. XXI.

Castellæ Legatorum tricæ.

Die quarta Aprilis publice affixum est
 Decretum, quo Petrus de Luna con-
 tumax declaratur, itemque edictum Im-
 peratoris contra Ducem Austriæ, ratio-
 nes continens, ob quas omnia ejus bona
 occupare coactus fuisset. Castellæ Le-
 gati, priusquam Concilio uniebantur, ob-
 tulerunt Articulos circa modum, quo fu-
 turus Pontifex eligendus esset. Consti- Scheffer.
 tutionem vero, qua sine Synodi consen- comp. Chron.
 su Papam non esse eligendum fancieba- p. 58.
 tur, invitis Cardinalibus conditam fuisse
 conquesti sunt, postulantes, ut adhibitis
 quoque Cardinalibus ad electionem pro-
 cederetur, & loco eorum, qui e natione
 hispana adhuc dum Benedicto adhære-
 rent, novi substituerentur Cardinales.
 Verum Imperator noluit de Electione no-
 vi Papæ, nec de Reformatione Ecclesiæ
 in capite & membris tractari, priusquam
 Bene-

Sæcul. XV. Benedictus depositus esset. Inde ortæ
A. C. 1417. sunt triæ, nec Castellani accesserunt Synodo usque ad decimam octavam mensis Junii diem.

§. XXII.

Misniæ Marchio Cæsari indignatus.

Vonder
 Hardt to. 4.
 p. 1231.

Interea Imperator decima tertia Aprilis Constantiam reversus, varia negotia tam civilia, quam politica, quæ particulares Germaniæ Principes concernebant, definivit. Venerat quoque Constantiam Fridericus Misniæ Marchio ac Thuringiæ Landgravius, ut ab Imperatore fiduciarioritu Misniam, ac nonnullas Bohemiæ urbes jure belli partas acciperet. Concessit Imperator lubenti animo Misniæ investituram, negavit tamen feuda Bohemica, eoquod frater suus esset Bohemiæ Rex, & ipsemet jure proximus hujus coronæ hæres. Hac repulsa Marchio usque adeo ira accensus est, ut Misniæ etiam investituram acceptare recusans, Constantia excederet, seque jus suum armis contra Cæsarem persecuturum comminaretur.

§. XXIII.

Causa Benedicti continuata.

Idem pag.
 1224. & 1
 1271.

Die vigesima tertia Aprilis Synodi Patres congregantur, perlecturi accusationis